AD QVODLIBETARIAM

QVAESTIO MEDICA, MATVTINIS AGITANDA DISPVTATIONIBVS, IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XXIII. IANVARII, MAGISTRO SIMONE BASIN DOCTORE MEDICO PRÆSIDE SAPIENTISS.

An in Phrenitide certa ex pulsu προγνώσεως.



VT hominis animantium omnium perfectissimi sua sunt principia insensibilia, quatuor elementa: ita & sensibilia, humores quatuor, in illo quàm in reliquo animantium genere perfectiores, ex principiis insensibilibus prognati. Ex integra eorum natura, sanitas, affectus secundum naturam actionem primùm perficiens, consequitur. Ab iisdem extra naturæ fines terminosque constitutis morborum ferè Iliades, actionum læsiones, immoderationes in excretis & retentis, corporisque affectus simplices. Hinc etiam febres tam intermittentes quàm continuæ, Causus, φρενῖτις, tumores præter naturam, qui vel sunt calidi, vel frigidi omnes. Calidi fluxione fiunt vt φλεγμονή, ἐρυσίπελας. φλεγμονή à sanguine puro nunquam, sicut nec ἐρυσίπελας à syncera bile. Illam efficiunt facultatis expultricis robur, in partibus principibus maximè elucens, imbecillitas partis recipientis, humoris copia, acrimonia, vel tenuitas, & viarum laxitas. frigidi congestione vt σκίρρος; vbi sensim & quasi sine sensu crassus humor frigidusque, & ad motum ineptus partis imbecillitate congeritur. Vt autem sanitas salubribus signis, ita & morbus insalubribus sese prodit ac manifestat.



INSALVBRIVM alia sunt διαγνωστικὰ quæ partem affectam, morbum, & causam denotant, alia verò προγνωστικὰ quæ & morbi euentum, & quæ toto illius decursu euentura. Ex vrinis certiora signa διαγνωστικά; ex pulsu verò, in cacumine membrorũ maximè euidenti (Hippocrati tamẽ minimè noto) προγνωστικά. Cuius quidem ad vitam tanta necessitas in μικροκόσμῳ, quanta solis motus in μακροκόσμῳ ad ὕπαρξιν. Hic non vbique semper similis est, sed in modulos certos legesque metricas stabilis, citatus, aut tardus per naturales causas ętatem, sexum, regionem, anni tempora, somnum, vigiliam, habitum tam naturalem quàm ascititium, & temperamenta: vel etiam per non naturales, vt balnea, cibum, potum, exercitium: vel denique per causas contra naturam, vt morbos & symptomata, animi pathemata: quorum sui sunt proprij pulsus, vt & amoris. Sic φρενῖτις vera durum, celerem, frequentem, tremulum exiguumque pulsum habet, quo vt & aliis signis febre siquidem continua, delirio, somnis primùm turbulentis, dein vigiliis continuis, oculis cruentis, squalidis, fixis, linguæ asperitate, magna & rara respiratione, sanguinis è naribus fluore, κροκιδισμῷ, καρφολογία, δυσαισθησία, & manuum agitatione inordinata deprehenditur.



CEREBRVM φρενίτιδος primum est propriumque δεκτικόν, vt & ἡγεμονικῶν facultatum; quamobrem κατὰ φύσιν καὶ δύναμιν frigidi metropolis est & glutinosi: ne scilicet illæ delirę forent ac præcipites. Vndè rarò nec nisi à causa potente phrenitide tentatur. Calore tamen nimio inflammationeque obsessum eam parit & patitur. Quæ nihil aliud est quàm delirium cum febre cõtinuum ex inflammatione cerebri & meningων, cum sensuum interiorum læsione. Hæc vera & legitima semper à bile pallida, flaua, inflammata sed syncera promanat. Nam si pituitæ permiscatur, coma peruigil existit, si à bile retorrida aut humore atro mania, si aliundè quàm à cerebro παραφρενῖτις est, delirium quidem febribus ardentissimis ἐπιγενηματικόν, aut alicui grauiori morbo vt inflammato septo transuerso. Ex delirij specie nùm sanguis, an vero bilis in causa sit cognoscetur. Deliria quæ, cum risu accidunt mitiora tutioraque sunt quàm quæ serò. Illa sanguinem humorum omnium optimum ac mitissimum: hæc vero bilem ferocissimum humorem ac deterrimum arguunt.



MAGNVS illa affectus tum ex se, tum ratione partis affectæ, tum symptomatum vehemẽtia. Crebræ in phreniticis permutationes conuulsionem denotant ac prauæ sunt. Frequentes in iisdem cum perfrigeratione sputationes vomitum nigrum indicãt. Si tremor accidat funestus. præstat enim delirium superuenire tremori, quàm tremorem delirio. Qui ex flaua bile per illius adustionem phanaticus euaserit, nullam sanitatis spem promittet. Vt si perennis morbificæ materiæ generatio, perennisque eius ad caput assensus, alui deiectiones, vrinæque bilis tinctura expertes fuerint. Phrenitidi coma superueniens exitiale. βραχυπόται qui nullo bibendi desiderio tenentur, cùm tremorem incurrant vix curationem admittent. Quibus calor ad tactum mitis cum febre hectica, nec vox exauditur præ imbecillitate, nec palpebræ attolluntur, sed tremulæ tantum manus agitantur lethale.



SI qua tamen de euentu certa in hoc affectu haberi possit πρόνοια maximè à corde, eiusque pulsu, vitæ aut necis fideli internuntio: non à cerebro, cuius substantia, temperies, conformatio, functio ad vitam non sint absolutè necessariæ. Nam in hydrocephalo substantiæ cerebri nulla moles, temperies immoderata, conformatio vitiata prorsus, sine vitæ iactura. In apoplexia, tremore, catalepsi, sopore, morbo comitiali functiones omninò deprauatę sine animalis interitu, nisi cor trahatur in consensũ funestæ labis. Neque enim animal emori omnino potest nisi cor ab agendi munere cesset, cessare verò non potest citra maximam eius intemperiem. Deprauatur quidem actio cordis à leuiori δυσκρασία, non autem aboletur nisi ab insigni. Atqui cordis actio nihil differt à pulsu, & vnaquæque illius intemperies ictum habet sibi proprium & peculiarem: calida velocem & frequentem, frigida paruum, sicca durum, humida mollem. In Phrenitide arterię assultus quo durior & minor eo cordis intemperiem facultatisque imbecillitatem maiorem: quo celerior in contractione fuliginosorum excrementorum vberiorem indicat copiam. Quod si inęqualis demum & formicans euaserit, tum calcanda semel via lethi.

Ergo in Phrenitide certa ex pulsu προγνώσεως.

Asserebat Lutetiæ Guilelmus de Vailly Parisinus. A. R. S. M.DC.XIV.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Henricus Blacuod.
M. Gabriel Biard.
M. Ioannes Desgorris.
M. Renatus Chartier.
M. Franciscus Placet.
M. Andreas Duchemin.
M. Nicolaus Pietre.
M. Iacobus Cousinot.
M. Petrus Seguin. Prof. Reg.